

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Gabaonitae.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

56 DIALOG. SACRORVM

brum de hac fenestra, per quam nos deinissisti: convocabisque ad te totam vestram familiam. Quod si quis è domo tua foras exierit, suo id periculo fecerit: nos aberimus a culpa. Quæ vero erunt apud te, eb si quis attigerit, nos præstabimus damnum. Quod si hanc rem palam feceris, erimus liberi a jurejurando, quo tu nos obstrinxisti. *R.* Placet conditio. Valete. *E.* Et tu.

SENTENTIA.

Pios adversus impiorum injuriam abscondere, piūm est: & Deus hujusmodi officia remuneratur.

GABAONITAE. Jof. 9.

ARGVMEN T V M.

Josua deceptus a Gabaonitis, fœdus pacificatur cum eis.

Gabaonitarum Legati, Josua.

Adsumus huc e finibus remotis, Josua & Israëlitæ, missi ad faciendum fœdus vobiscum, si vobis ita videtur. *J.* Fortassis habitatis in finibus his: quod si est, non est nobis fas inire fœdus vobiscum. *L.* Nos quidem parati sumus dedere nos in tuam potestatem. *J.* Cujates estis? & unde adestis? *L.* Adsumus ex terra admodum remota hinc, moti nomine Jovæ DEI vestri. Audivimus enim famam ejus & quanta facinora ediderit in Ægypto, utque ^{a)} acceperit duos Amorræos Reges Transjordanios, Sehoneim Hesboniorum, & Oggum Bassanæ apud Astarota. Hac de causa mandaverunt nobis nostri Senato-

res,

^{a)} Tractaveris.



res, & universi nostrates, ut sumpto viatico, veniremus obviam vobis, oblaturi vobis servitium nostrum, & pacturi fœdus vobiscum. Atque b) ecce panes, quos domi sumpsimus in commeatum, cum sumus profecti ad vos: qui jam marcuerunt, mucueruntque, ut videtis. Hæ quoque lagenæ, quas replevimus novas, videtis ut sint laceræ. Vestimenta etiam, & calcei nostri jam detrita sunt longitudine itineris. Quare nolite putare, nos meditari dolum ullum: bona fide agimus, & ut res est, sic loquimur. *Jos.* Ergo componemus pacem vobiscum, vosque conservabimus, & id jurando confirmabimus.

SENTENTIA.

Et pii interdum falluntur. Nam quo minus sunt ipsi malitiosi, eo facilius credunt aliis, eos existimantes ex suo ingenio. Itaque cavenda piis est credulitas: Et cum columbina simplicitate conjungenda est serpentina astutia.

JOSVA. Jof. 24.

ARGUMENTVM.

Josuæ concio ad populum, in qua commemorat Jovæ erga ipsos beneficia; & populus sese Jovæ servitum promittit.

Josua, Populus.

Audite, universi Israelitæ, quamobrem iusserim
vos hoc convocari, & quid Jova Deus Israe-

D 5 litarum

b) Solebant nimirum illo tempore viatores circumferre cibaria.

